THESES SELECTAE EX UNIVERSA THEOLOGIA QUAS IOSEPH M. ALDANESI...

Giuseppe Maria Aldanesi

THESES SELECTAE

EX UNIVERSA THEOLOGIA

QUAS

IOSEPH M. ALDANESI CORNETANUS

SACERDOS ALUMNUS PONT SEMINARII PII

PUBLICE VERIFICANDAS ASSUMIT

IN LYCEO PONT. SEMINARII ROMANI

AD S. APOLLINARIS

XVI KAL. IULII MDCCCLXII

ROMAE

EX OFFICINA SOCIETATIS AURELIANAE

—

1862

PROOEMIUM

Etsi mihi, Eminentissimi Principes, Praesules amplissimi, Auditores humanissimi, etsi mihi publicam de Universa Theologia disputationem inituro magnopere timendum est, ne tam exiguo ingenio praeditus, tamque mediocri dicendi facultate expectationem vestram sustinere tueri que nequeam; plura tamen animo obversantur, quae haud levi me laetitia perfundant, et vero etiam ad maiores, quas possim, gratias Deo O. M. agendas impellant. Scilicet eo in primis me pervenisse iam video, quo perveniendi debitis admodum superioribus annis inerat spes, cum, perturbatis Christianae Reipublicae ac praesertim Ecclesiasticae ditionis rebus, Italorum Clericorum animi ad lacrimas potius fundendas, quam ad severiora studia colenda impellerentur. Ergo si, praeter expectationem, secundis nihilominus ventis perpetuo hic usi sumus, meque iam fore in eum portum receptum video, ad quem tam multi ex plerisque Italiae regionibus Clerici nequidquam anhelant, qui tandem possim a vehementi gaudio temperare?

Illud etiam cecidit mihi peropportune, quod Theologicarum disciplinarum studia sic transegerim, ut publicam hanc de iisdem Theologicis Dogmatibus disputationem habere potuerim per hos dies, quibus frequentiori Patrum Cardinalium praesentia decoraretur, tum aliorum Romanae Curiae Antistitum, et praesertim complurium Episcoporum virtute atque doctrina illustrium, qui nuper ex universo Orbe ad hanc B. Petri Sedem convenientes ita Pontifici Optimo Maximo Pio IX Sanctorum honores XXVI. Martyribus Iaponensibus, Beatoque Confessori Michaeli de Sanctis solemniter decernenti adfuerunt, ut singulare prorsus Catholicae unitatis documentum ediderint.

Quamquam, ut vera fatear, non tam ob honorem licet praeclarissimum, quo ex amplissimo conspectu vestro mea haec disputatio honestatur, vehementer gaudeo laetorque, sed potius ob occasionem, quam tot Catholicis Praesulibus exhibet praeclarius agnoscendi, admirandi, dignisque laudibus efferendi eximiam Sanctissimi Patris et beneficentissimi Principis Pii Papae IX. pro Ecclesia Dei sollicitudinem, atque indeficientem munificentiam, cuius providentia effectum est, ut ex singulis Ecclesiasticae Ditionis dioecesibus singuli Clerici in hoc Pontificium Seminarium Pium ab Ipso excitatum cooptarentur, ac omnibus subsidiis affluerent, quibus ad pietatem, et ad omnem, quae ecclesiasticum virum decet, sapientiam erudirentur. Cui idcirco quod debita gratia a nobis referri nequit, habenda saltem tanta est, quantam maximam animi nostri capere queant. Itaque oblatam nobis huius disputationis opportunitatem ad maxima Ipsius in nos, nostrasque Dioeceses beneficia commemoranda avidissime accepimus, nihilque magis avemus, quam ut exiguum hoc obsequii in Ipsum

nostri pignus aequo libentique animo excipiat, nostramque erga Ipsum observantiam et fidem hac nostra qualicumque significatione longe maiorem existimet.

Sed iam tempus admonet, ut ad institutae disputationis rationem quambrevissime explicandam deveniamus inter theses, quas propugnandas assumo, primum, uti par est, locum tenent quae ad SS. Bibliorum utriusque Foederis authentiam, fidem, divinamque originem constabiliendam pertinent. Quod spectat ad libros deuterocanonicos V. T. fusius in iis singillatim vindicandis versati sumus, nec praetermisimus subsidia, quibus de integritate et fide SS. Codicum recte iudicium feratur. Ad haec pronum erat, ut de illa societate tractaremus, quam penes divini verbi tum scripti tum traditi asservandi perenne munus, eiusque interpretandi indeficiens, nec ulli obnoxium errori magisterium reperitur. Variis igitur propositis thesibus declaramus, quae sit illius societatis vis et ratio, quae natura, quo fine, quibusque proprietatibus ac dotibus a divino suo Institutore fuerit exornata, quo discrimine ac praecellentia a civili societate distinguatur, quaenam inter fideles eorumque Pastores habitudines intercedant, et praesertim quid iuris et privilegiim competat successoribus B. Petri, cui claves regni caelorum concreditae sunt. Illud autem mihi inerrantia Romani Pontificis de fide et moribus decreta propugnanti praetereundum non erat, utpote hisce diebus peropportunum, nempe errori quoque obnoxium esse non posse solemne illud iudicium, quo beatos Dei servos in canonem Sanctorum adsciscit. His praestitutis, ad illam simplicissimam et nihilominus in omni perfectionum genere infinitam divinae essentiae unitatem disputatio nostra convertitur, et mox

ad illam ineffabilem Personarum Triadem, in quibus eadem natura Dei subsistit. Dein vero perpendimus eorum originem, quae liberrime ac sapientissime Deus operatus est: atque exponentes malorum omnium, quibus premimur, fontem, videlicet primi hominis delictum, qui, ut ait Augustinus « nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non Ejus a quo factus est » exaltare nitimur beneficia, Dei bonitate, illi corruptioni opposita per unum hominem, qui « nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed Eius, a quo missus est » (1). De maximo illo pietatis Sacramento loquor, quo Unigenitus Dei Filius, qui in forma Dei erat, seipsum exinanivit, formam servi accipiens, factus usque ad mortem pro nobis obediens. Praecipuum autem huius obedientiae fructum retulit beatissima illa atque omni laude dignissima Virgo Maria, quae singulari Redemptionis genere ab omni labe peccati in primo suae conceptionis instanti praeservata fuit immunis. Porro cum hac tractatione de salute humano generi per Christum allata necessario veluti nexu coniungitur perpensio insignioris doni per Sanguinem Ipsius nobis acquisiti, hoc est gratiae supernaturalis, qua divinae naturae consortes effecti, fructus vitae aeternae proferre valemus. Ordinis deinceps ratio poscebat, ut de Sacramentis, per quae veluti per totidem vehicula gratia Reparatoris in nos abunde promanat, quaestio agitaretur. Ergo postquam de numero eorum, de ministro, de efficacia, verbo de iis omnibus, quae ad eadem Sacramenta communiter spectant, tradidimus, de quatuor praecipue, quae magnam certanti materiam praebent, controversiam

(1) S. Aug. *L. de pecc. orig. cap. XXIV.*

proponimus, de sacrosancto regenerationis lavacro, quo peccatis abluti, filiorum Dei nomen atque iura assequimur, de Sacratissimae Eucharistiae mysterio, qua « caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur » (1): de efficacissimo reconciliationis remedio baptizatis parato, quod « secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam SS. Patres apte nuncuparunt » (2); necnon de magno nuptiarum Sacramento, quod mirabili figura coniunctionem Christi cum Ecclesia portendit. Hisce omnibus nonnullas ex Historia Ecclesiastica theses subnicimus, quae ipsius Ecclesiae origines, progressum, certamina ac victorias per tria priora saecula complectentes, spem quoque nostram maxime fovent atque erigunt siquidem, mutata temporum conditione, diversis armis machinisque oppugnatur Ecclesia, sed idem plane perseverat odium impiorum, idem in oppugnatis robur, idemque tandem futurus certaminis exitus. Inter ea vero, quae ad primaevam Catholicae societatis institutionem diffusionemque pertinent, omittendum certe non erat factum illud praeclarissimum de Romano Petri Episcopatu, ex quo divinae Providentiae consilio, felix Roma « quidquid non possidet armis, Religione tenet » (3).

Restat, ut gratiam favoremque vestrum disputanti impendatis, ac siquid minus dignum vestris auribus vestraque sapientia imprudenter exciderit, consueta humanitate benigne condonare velitis.

(1) Tertullianus *De resurr. carn. cap. VIII*
(2) Conc. Trid. *Sess. VI Decr. de iustif. cap. XIV*
(3) S. Prosper *Carm.*

— — • — —

EX SACRA SCRIPTURA

DE PARTE CRITICA

DE AUTHENTIA ET FIDE LIBRORUM N. T.

I.

Libros sacros N. T. genuinos esse, veterum Ecclesiae Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, ipsorumque christiani nominis hostium testimonio evincimus.

II.

Patrum apostolicorum ex N. T. allegationes omnino demonstrant, nostros libros inde ab aevo apostolico extitisse.

III.

Internis praeterea argumentis confirmatur, auctores eorum librorum proximos et immediatos fuisse Iesu Christi discipulos.

IV.

Biblia ejusdem Foederis in criticis eorum documentis universim sumptis quoad substantiam integra conservantur.

V.

Scriptores N. T., seposita etiam divina inspiratione, ac regulis criticae tantummodo spectatis, in narrationibus praesertim de miraculis fidem historicam omnino summam merentur.

VI

Qui in Evangelus describitur Iesu Christi character adeo sublimis est atque excedens vires nostrorum scriptorum, ut concludi oporteat, illum natura subliniore instructum, hos in gestis vitae Iesu enarrandis summe veraces fuisse

VII

Tanta etiam est puritas et praecellentia doctrinae evangelicae, ut inde inferatur eam esse divinae originis, et ab Evangelistis ita descriptam, prout reipsa ab ore Christi exceperе

DE NECESSITATE INHAERENDI TESTIMONIO LEGATORUM DIVINORUM IN QUAESTIONE DE DIVINITATE OMNIUM SS. LIBRORUM, ET DE AUTHENTIA ET FIDE LIBRORUM V. T.

VIII

Nullum aliud nobis suppetit medium certo, pro rei natura, statuendi, quinam libri sint divinitus inspirati, praeter infallibile Christi et Apostolorum testimonium, quod aeque infallibiliter ab eorum successoribus, nempe ab Ecclesiae Catholicae Praesulibus proponatur

IX.

Causa de authentia et fide SS. codicum V. T. non dependet unice a critica demonstratione, quae in libris tantae antiquitatis numeris omnibus absoluta immerito requireretur, sed potissimum ab irrefragabili legatorum N. T. testimonio, quo in tam salebrosa inquisitione innixos procedere oportet

DE SIGNIS DIVINAE CHRISTI ET APOSTOLORUM LEGATIONIS

X

Miracula, quae in libris N. T. a Christo et Apostolis patrata leguntur, sunt miracula proprie dicta

XI.

Item praedictiones, quae narrantur a Iesu patratae, sunt totalem veri nominis vaticinia eventu confirmata.

XII.

Miracula et vaticinia a Salvatore nostro edita Eum esse verum Messiam, ipsumque naturalem Dei Filium, luculenter demonstrant.

XIII.

Prodigia etiam ab Apostolis patrata evidenter ostendunt, eos missos fuisse a Christo Iesu ad integram doctrinam suam custodiendam et qua late patet orbis promulgandam.

XIV.

Inerrantiae donum, quo Christus Apostolos eorumque successores insignivit, sese extendere ad iudicium de SS. codicum divinitate et canone, rei ipsius indoles, et veterum doctorum consensus ostendit.

DE CANONE ET DIVINITATE SCRIPTURARUM
(I)
UNIVERSIM

XV.

Qui in canone Concilii Tridentini recensiti sunt libri, eos omnes traditio Ecclesiae inde ab Apostolorum tempore deducta vere divinos esse docuit.

XVI.

Notio *θεοπνευστίας*, quam Iudaei et Christiani, auctoribus divinis legatis itisque probantibus, informarunt, eiusmodi est, ut Deum vere et proprie voluminum utriusque Foederis auctorem esse profiterentur.

(2)

DE SCRIPTIS DEUTEROCANONICIS V. T. SPECIATIM

XVII.

Doctrina iudaicae synagogae divinae origini librorum deuterocanonicorum V. T. nullatenus adversatur.

XVIII.

Irrito conatu Protestantes impugnant perpetuam et constantem Ecclesiae de iisdem libris traditionem quibusdam B. Hieronymi aliorumque veterum Ecclesiae scriptorum effatis.

(3)

DE PRAEFATIS SCRIPTIS SINGILLATIM

XIX.

Nihil est in libro Tobiae, quod divinae eius origini contradicat.

XX.

Idem de libro Iudith contendimus.

XXI.

Septem posteriora capita libri Esther̄is partem eiusdem genuinam et canonicam constituunt.

XXII.

Immerito Protestantes Sapientiam et Ecclesiasticum e canone Bibliorum excludunt.

XXIII.

Liber Baruch ut genuinus et canonicus habendus est.

XXIV.

Fragmenta Danielis deuterocanonica (III. 24-90, XIII et XIV) nec supposititia sunt nec divina auctoritate carent.

XXV

Duo libri Machabaeorum, afflante Deo, elucubrati sunt

DE AUTHENTIA ET FIDE LIBRORUM V. T. CRITICE CONFIRMATA

XXVI

Veneratio, qua Hebraeorum gens sacros etiam deuterocanonicos V. T. codices semper prosecuta est, habita ratione argumenti rerumque indolis, quae in iisdem continentur, ostendit eos non esse supposititios.

XXVII.

Scriptoribus V. T. quippe qui partim συγχρονοι, indigenae, et praesentes rebus gestis fuerunt, partim usi sunt publicis coaevis et eo quo scribebant tempore existentibus documentis, historica fides non est abiudicanda.

XXVIII

Documenta, quibus Scripturae V. F. continentur, universim spectata eas exhibent quoad substantiam incorruptas

DE TEXTIBUS PRIMIGENIIS

(I)

DE EORUM INTEGRITATE ET VARIANTIBUS LECTIONIBUS

XXIX.

Non sunt audiendi qui substantialem integritatem textus sive veteris sive novi Testamenti interiisse contendunt

XXX.

Variantes lectiones, quarum in diversis criticis instrumentis magnus est numerus, ac nonnullae quoque dogmaticae sunt, nedum officiunt, substantialem textus integritatem confirmant, si regulis Criticae rite applicatis, saepe veram autographi lectionem exhibent; adeoque non levia ex hoc studiorum genere rei biblicae expectanda sunt emolumenta.

(2)
DE INSTRUMENTIS, QUIBUS INTEGRITAS BIBLIORUM ET VARIAE LECTIONES DIJUDICANTUR

XXXI.

Principem locum inter critica instrumenta habent veteres codices editi et manuscripti, qui si sunt invicem independentes, quot afferuntur codices, tot numero distincti testes existunt; si vero alter ab altero originem habuit, vel omnes ab uno eodemque fonte manarunt, unam tantum classem codicum, unumque veluti testem efformant.

XXXII.

Huic principio theoretice vero et certo innituntur systemata, uti aiunt, recensionum vel familiarum codicum, recens a Bengelio, Semlero, Griesbachio, Scholzio, Hugio excogitata et expolita; quae mutua illa relatione atque affinitate praefatorum testium nondum satis plene cognita ac certo constituta, vix alicujus hucusque practici valoris sunt.

XXXIII.

Discernendis genuinis lectionibus multum quoque inserviunt versiones antiquae, inter quas eminet Vulgata latina editio, quae merito a Concilio Trid. declarata est authentica, ac

usum philologico-criticum longe maiorem habet, quam vulgus philologorum credidit quod doctissimorum inter Protestantes suffragio confirmatur.

XXXIV.

Translationum Orientalium princeps exsistit syriaca utriusque Foederis versio, vulgo nuncupata *Peschito*, quae primo vel altero Ecclesiae saeculo immediate ex hebraeis graecisque fontibus expressa, eos presse sequitur, ac ad ipsorum integritatem confirmandam vel restituendam prae ceteris idonea est.

XXXV.

Omnium antiquissima et ecclesiastico usu maxime commendata, est graeca V. T. των LXX versio, cuius interpretes licet liberius aliquando in vertendo versati sint, neque omnia semper neu attigerint, tamen apud aequos rerum aestimatores magna in se critica pollet auctoritate.

XXXVI.

Inter critica bibliorum subsidia demum numeranda sunt allegata ex SS. Litteris veterum scriptorum, qui quamvis ingenio saepe ac memoriae indulserint, tamen falsum est, nullum ex illis allegationibus de codicum, quos usurparunt ratione ferri iudicium posse.

820

EX LOCIS THEOLOGICIS

DE ECCLESIA

XXXVII.

Christus Ecclesiam instituit eo quidem consilio ut homines certis conspicuisque nexibus inter se colligati, quam Ipse docuit Religionem profiterentur, eâque professione ad sempiternam beatitatem pervenirent.

XXXVIII.

Haec autem Christi Ecclesia natura sua visibilis est, adeo ut eam homines facile videre et cognoscere possint.

XXXIX.

Eam voluit Christus perpetuo duraturam esse, ac proinde quemadmodum hactenus nunquam desiit, ita deinceps ad consummationem usque saeculi futurum nunquam est ut desinat.

XL.

A vero aberrant qui non alios ad Christi Ecclesiam spectare docent, quam iustos ac sanctos, cum certum exploratumque sit ad eam pertinere omnes Christi fideles, sive ii iusti sint sive peccatores.

XLI.

Illi sunt extra Ecclesiam, qui suo utique vitio vel fidei vel communionis vincula abrumpunt.

XLII.

Ecclesia est societas legalis ac necessaria, tum quatenus divini Institutoris voluntate existit, tum quatenus extra illam non datur salus.

XLIII.

Haec religiosa societas ex ipsius Christi institutione duplici membrorum ordine constat, laicorum videlicet et clericorum, qui divino ministerio mancipati ecclesiasticam constituunt Hierarchiam.

XLIV.

Ea est a civili societate distincta et plane diversa tum origine, tum etiam fine ac mediis.

XLV.

Est insuper a Christo instituta ad modum verae atque independentis societatis: et falso novatores asserunt eam collegii loco esse habendam, et *statum non esse, sed esse in statu*.

XLVI.

Eamdem Ecclesiam Christus infallibilitate donavit in iis omnibus, quae ad fidem et mores spectant.

XLVII.

In iis etiam factis iudicandis quae *dogmatica* dicuntur, Ecclesia est infallibilis.

XLVIII.

In eadem Ecclesia utpote perfecta societate potestas a civili auctoritate independens divinitus instituta fuit disciplinam exteriorem per leges ordinandi, ac iudicia de negotiis spiritualibus et ecclesiasticis exercendi.

822

XLIX

Ex eadem divina institutione potestas in Ecclesia exsistit cogendi fideles ad suarum legum et sententiarum executionem, et coercendi devios ac contumaces non solum per censuras, sed etiam per alias salutares exteriores poenas

DE ROMANO PONTIFICE

L

Ad unitatem servandam Christus Ecclesiae suae praefecit Petrum, cui primatum honoris et iurisdictionis in universam contulit Ecclesiam; et ab eo idcirco dependebant Apostoli, licet extraordinaria potestate essent instructi.

LI

Hic honoris et iurisdictionis in universum orbem primatus iure divino pertransit ad Romanos Pontifices B. Petri Principis Apostolorum successores, quibus proinde in eodem b. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plena tradita est potestas.

LII.

Hinc iure meritoque damnata fuit Edmundi Richerii doctrina statuentis Ecclesiasticam omnem potestatem *primario, proprie,* et *essentialiter,* toti Ecclesiae, hoc est universis collectim eius membris a Christo collatam esse, Romano autem Pontifici et aliis Episcopis *ministerialiter tantum* et *quoad executionem*

LIII

Vi primatus Romanus Pontifex ut supremus et universalis Ecclesiae Rector auctoritatem habet super omnes Christi fideles, etiam Episcopos; qui tamen non sunt simplices eius vicarii ac delegati, sed ordinaria gaudent potestate

LIV

Praedictam supremam auctoritatem, quae Romanis Pontificibus vi primatus competit, perperam interpretantur, qui contendunt eam ius dumtaxat esse curandi ut leges ab Ecclesia conditae in singulis dioecesibus serventur.

LV.

Vi eiusdem primatus Romanus Pontifex suprema auctoritate pollet in omnes Episcopos etiam in generali synodo collectos.

LVI.

Concilium generale Romani Pontificis auctoritate confirmatum errare nullatenus potest in iudiciis, quae de fide morumque doctrina pronunciat: eiusque dogmatica decreta sunt *ex se* seu ante consensum et acceptationem Ecclesiae irreformabilia.

LVII

Dogmaticas definitiones a Romanis Pontificibus, quatenus sunt *fidelium Doctores*, seu, ut aiunt, *ex cathedra editas* non esse errori obnoxias, diserta scripturarum testimonia evincunt, sensusque Ecclesiae traditionalis confirmat.

LVIII

Eorum vero improbari opinio debet, qui distinguentes inter seriem Romanorum Pontificum et Pontifices κατ᾽ ἕκαστον acceptos necnon inter sedem et cathedram vel Romanam Ecclesiam, et eosdem Romanos Pontifices, illi infallibilitatem tribuunt, quam istis denegant.

LIX

Romanus Pontifex est infallibilis in Ecclesiastico judicio, quod pronunciat in canonizatione sanctorum.

EX THEOLOGIA DOGMATICA

DE DEO EIUSQUE ATTRIBUTIS

LX

Supremi Numinis existentiam argumentis ex ratione desumptis invicte demonstramus

LXI

Deum unum esse, Revelationis ac rationis argumentis evincimus.

LXII

Deus eiusmodi gaudet simplicitate, ut quaevis ab illo sit excludenda compositio sive physica, sive metaphysica, sive logica

LXIII

Omnes in Deo sunt perfectiones, verum *simpliciter simplices formaliter, mixtae* autem *eminenter*

LXIV.

Deum esse omnino immutabilem fides et ratio docet

LXV

Idem omnimoda pollet libertate in suorum attributorum manifestatione

LXVI

Est item infinite providus, et omnia quae sunt regit, et moderatur

DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO

LXVII.

Mysterii SS. Trinitatis clara notitia habetur ex testimoniis V. T., quibus edocemur in unitate naturae tres esse personas realiter inter se distinctas, coeternas sibi, et coequales.

LXVIII.

Hujus mysterii existentia perenni, et universali, atque ab Apostolorum aevo fluente Traditione demonstratur.

LXIX.

Huius autem Trinitatis secunda persona, Verbum scilicet Patris, vere ac proprie Deus est, eidem Patri consubstantiale, prout ex SS. Litteris manifeste colligitur, praesertim vero ex Cap. I Evangelii S. Ioannis.

LXX.

Gravissima appingitur a Socinianis calumnia Ante-Nicaenis PP. Iustino, Tertulliano, et Clementi Alex. dum eos Arianismo praelusisse contendunt.

LXXI.

Spiritum Sanctum vere ac proprie Deum esse, ex Scripturis, et Traditione propugnamus.

LXXII.

Unitas, propter quam divinae personae consubstantiales sunt, neque unitas *generis* est, neque *speciei*, sed perfectissimae, et omnimodae *singularitatis*, ut Scripturae docent, et Traditio confirmat.

LXXIII

In divinis Personis ordo est agnoscendus, non quo una altera prior sit persona, sed quo una ex altera procedat

LXXIV.

Spiritus Sanctus a Patre, et Filio procedit tamquam ab unico principio, et unica spiratione.

DE INCARNATIONE FILII DEI

LXXV

Verbum divinum assumpsit corpus humanum verum ac reale, non autem phantasticum, et umbratile

LXXVI

Una cum corpore etiam animam, eamque rationis participem assumpsit.

LXXVII

Proinde Christus humanis affectibus, et doloribus obnoxius fuit

LXXVIII

Quod minime impugnavit Hilarius Pictaviensis Episc siquidem Christo tribuit verum corpus, nec denegavit in eo verissimi doloris sensum

LXXIX,

Unio duarum naturarum in Christo non moralis, seu habitudinis, sed vere hypostatica fuit ut unica in ipso, eademque divina persona sit agnoscenda

LXXX.

Etsi vero duae in Christo naturae hypostatico nexu copulentur, nulla tamen post adunationem facta est commixtio naturarum, vel in unam conversio, sed integrae manent, distinctae, inconfusae, et impermixtae.

LXXXI.

In Christo Iesu duplex voluntas est admittenda, divina et humana.

LXXXII.

Pariter in eodem duae fuerunt distinctae naturales operationes divinitatis et humanitatis.

DE PROTOPARENTUM CREATIONE, ET LAPSU

LXXXIII.

Primi parentes immediate a Deo conditi fuere.

LXXXIV.

Universum humanum genus ab Adamo communi omnium parente propagatum esse, Scripturarum oraculis, universaeque Traditionis testimonio demonstratur.

LXXXV.

Protoparentes nostros in statu iustitiae et sanctitatis constitutos, ac supernaturali gratia auctos fuisse a Deo demonstramus.

LXXXVI.

Eximiis insuper donis quae *praeternaturalia* audiunt cumulati fuerunt, praeclara nimirum scientia, perfecta voluntatis ordinatione et corporis immortalitate.

LXXXVII

Porro ordinatio illa Protoparentum, quae intuitivam Dei visionem spectabat, ac adeo mediorum ad eam obtinendam collatio homini erat prorsus indebita.

LXXXVIII

Quamquam vero in tanta non peccandi facilitate protoparentes constituti fuissent, *vere* tamen, et *graviter* peccarunt.

LXXXIX

Adae prevaricationem non illi soli, sed universo humano generi nocuisse, et idcirco homines nedum corporis mortem, sed et peccatum quod est mors animae ab ipsa generatione contractum accipere, ex scripturis demonstratur, praecipue ex Cap. V. Epist. B. Pauli ad Romanos v. 12 seqq.

XC

Perperam autem Pelagiani contendebant, ab humano ingenio repetendam doctrinam de peccato originali: cum constans Ecclesiae praxis baptizandi infantes, et unanimis Patrum consensus eam perpetuo viguisse in Ecclesia demonstret.

XCI

Quin huic doctrinae adversari Ioannis Chrysostomus censeri debeat, cuius auctoritate potissimum Pelagiani abutebantur.

XCII

Beatissima Virgo Maria in primo instanti conceptionis suae fuit singulari Omnipotentis Dei gratia, et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis.

DE HOMINIS REPARATIONE PER GRATIAM CHRISTI

XCIII

Deus supposito quoque originali peccato, voluntate beneplaciti, seria, et antecedenti vult aliorum, quam praedestinatorum salutem.

XCIV.

Immo ut verum, pium, ac fidei proximum defendimus sententiam, cădem voluntate beneplaciti Deum velle, universos homines saltem adultos salvos fieri.

XCV.

Cui quidem Catholicae veritati nullatenus obstant quae habet Paulus ad Romanos IX, neque Apostolicae sententiae I. ad Timoth. c. II. v. 4. multiplices expositiones, quas S. Augustinus contra Pelagianos, ac Semipelagianos disputans adhibebat.

XCVI

Hinc Christus pro omnium hominum saltem adultorum salute non sufficienta tantum pretii oblati, sed vere, et affectivo efficaci oblatione meritorum suorum mortuus est, utque eis supernaturales gratias mereretur relative ad statum humanae corruptionis sufficientes.

XCVII.

Huius gratiae adiutorium necessarium est homini lapso ad omnes et singulos actus salutares.

XCVIII

Sed haeretico fallitur spirito, qui naturalis ordinis operibus posse hominem gratiam fidei promereri statuit, aut ad eam accipiendam se positive disponere.

XCIX.

Nullo enim naturae vigore potest homo habere salutare fidei initium, aut pios concipere credulitatis affectus.

DE RE SACRAMENTARIA

C

Sacramenta N. Legis septem numero sunt, neque plura, neque pauciora.

CI

Nec propter solam excitandam aut nutriendam fidem instituta sunt, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

CII

Differunt autem a Sacramentis Veteris Legis non in eo tantum quod aliae sint caeremoniae, aliaque ritus externi, sed virtute.

CIII

Tria Sacramenta, Baptismus nimirum, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem in anima suscipientium, hoc est signum quoddam spirituale, quod permanens est atque indelebile.

CIV.

Non omnes baptizati in omnibus Sacramentis conferendis potestatem habent.

CV.

In ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.

CVI

Merito Concilium Tridentinum anathemati subiecit eos, qui dixerint receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni administratione Sacramentorum adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse

CVII.

Baptismi materiam remotam omnem et solam aquam naturalem esse, Christi verba quae leguntur Ioannis III. 5 et seqq. manifeste evincunt: et hoc ipsum Apostolorum usus et perpetuae Ecclesiae fides confirmat.

CVIII.

Ad huius Sacramenti veritatem non requiritur immersio in aquam illius qui baptizatur, sed sufficit in super eum infusio vel aspersio fiat

CIX

Requiritur tamen explicita invocatio singularum Personarum SS. Trinitatis.

CX

Baptismus liber non est, sed necessarius ad salutem

CXI.

Schisma et haeresis cui minister adhaereat, non impedit quominus ratum sit Baptisma, modo ea omnia servaverit, quae ad ipsum essentialia sunt.

CXII

In Sanctissimo Eucharistiae Sacramento Christi corpus et sanguinem vere realiter et substantialiter contineri, demonstratur ex Christi ipsius promissionibus quae habentur Io. VI v. 52 et seqq

CXIII.

Haec ipsa veritas non minus evidenter apparet ex verbis, quibus in institutione Sacramenti huius Christus usus est.

CXIV.

Fidem autem de reali Christi praesentia in Eucharistia perpetuo viguisse in Ecclesia, ostenditur ex eo quod Patres omnium temporum in hoc dogmate testando unanimiter convenerunt.

CXV.

In sanctissimo hoc Sacramento haereticum est asserere, remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini Nostri Iesu Christi, et negare mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam conversionem Ecclesia *transsubstantiationem* appellat.

CXVI.

Argumenta ex philosophiae principiis desumpta, quibus haeretici et increduli doctrinam de reali praesentia Christi Domini in Eucharistia et de transsubstantiatione reiiciendam esse suadere conantur, nullo modo evincunt doctrinae ipsius absurditatem.

CXVII.

Christus in Eucharistia sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totus et integer continetur.

CXVIII.

Nec tantum in usu dum sumitur praesens est, sed consecratione peracta, et ante et post usum, ita ut remaneat in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur, vel supersunt.

CXIX

Hinc in eodem Sacramento Christus latriae cultu adorandus est.

CXX.

Nullum extat divinum praeceptum, quo fideles omnes obligentur sub utraque specie communicare.

CXXI.

Ecclesia autem iure suo iustisque de causis decrevit, apud latinos laicis et clericis non conficientibus sub panis tantummodo specie communicandum esse iuxta vigentem iamdiu consuetudinem.

CXXII.

Actualis perceptio Eucharistiae non est necessaria necessitate medii ad salutem.

CXXIII.

Peccatorum remissio non est praecipuus neque unicus sanctissimae Eucharistiae effectus; nec sola fides sufficiens praeparatio est ad eam suscipiendam.

CXXIV.

In Missa offertur veri nominis Sacrificium.

CXXV.

Quod non est laudis tantummodo aut gratiarum actionis, neque nuda aut simplex commemoratio sacrificii crucis, sed est vere propitiatorium.

CXXVI.

Missae in quibus sola Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt, neque propterea abrogandae.

CXXVII.

Panis triticeus, sive azymus sit, sive fermentatus, neque se habet ad Eucharistiae essentiam et veritatem. Sacerdotes tamen in alterutro Corpus D. N. I. C. conficere debent iuxta suae Ecclesiae sive orientalis, sive occidentalis consuetudinem.

CXXVIII.

Ut ab iis peccatis quae post baptismum commissa sunt mundari homines possent, Christus Poenitentiam instituit verum et proprium Sacramentum.

CXXIX.

Adversus Montanistas et Novatianos defendimus nullum omnino esse peccatum, quod remitti ab Ecclesia virtute clavium non possit.

CXXX.

Timor gehennae per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, peccatum non est, neque peccatores peiores facit.

CXXXI.

Contritio charitate perfecta non est dispositio necessaria ad gratiam iustificationis in Sacramento Poenitentiae obtinendam.

CXXXII.

Quin imo si contingat aliquando contritionem peccatoris charitate perfectam esse, eum reconciliari Deo contendimus, priusquam Sacramentum hoc actu suscipiat, non tamen sine Sacramenti voto, quod in praedicta charitate includitur.

CXXXIII.

Ad remissionem peccatorum in secunda hac post naufragium tabula obtinendam, necessariam esse eorumdem confessionem ex ipsa Christi voluntate et institutione Sacrae literae docent, et communis SS. Patrum sententia demonstrat

CXXXIV.

Matrimonium esse unum ex septem Novae Legis Sacramentis a Christo Domino institutum contra Novatores ostendimus

CXXXV.

Ex quo sequitur ad Ecclesiam proprio nativoque iure pertinere potestatem ferendi leges, quibus Christiani coniugii sanctitati prospiciatur.

CXXXVI.

Non licet Christianis plures habere actu uxores.

v26

EX HISTORIA ECCLESIASTICA

DE PROPAGATIONE CHRISTIANAE RELIGIONIS

CXXXVII.

Omnibus superatis impedimentis, christianam Religionem summa celeritate per universum orbem propagatam fuisse, luculentissimis testimoniis demonstratur.

CXXXVIII.

Quod quidem factum cum suis adiunctis spectatum nonnisi virtuti divinae tribui potest.

CXXXIX.

Explorstum est, homines ad religionem suscipiendam divina auctoritate, quae in Evangelii praeconibus fulgebat certis characteribus munita, fuisse adductos.

CXL.

Nec minus perspicuum est, omnes, qui religionem ipso Ecclesiae exordio susceperunt, liberum examen in complectendis veritatibus religionis, sequi non potuisse, sed in Ecclesiae auctoritate normam fidei respicere debuisse.

CXLI.

Errat Dodwellus, qui affirmat exiguum fuisse primis Ecclesiae saeculis martyrum numerum.

CXLII

Causa praecipua persecutionum, quae primis tribus saeculis contra Ecclesiam commotae sunt, ea fuit, quod Christiani iuxta Evangelica praescripta Christianae Religionis veritatem animo retinebant, exterius profitebantur, et ab uniuscuiusque alterius cultus falsitate abhorrebant

DE DISCIPLINA ARCANI

CXLIII.

Falso a Protestantibus asseritur disciplinam Arcani ab Apostolica traditione non dimanare.

CXLIV.

Per huiusmodi institutum non solum cavebatur, ne ab Ecclesia extranei participes essent quorumdam Ecclesiae rituum, sed praesertim ne ipsis quaedam religionis dogmata, nominatim vero Eucharistiae et Trinitatis exponerentur.

CXLV

Ex eodem instituto argumentum eruitur, quo confirmatur catholica doctrina de reali Christi praesentia in Eucharistia.

DE S. PETRI ROMANO ADVENTU ET EPISCOPATU

CXLVI

Petrum Apostolorum principem Romam venisse, exploratissimum est

CXLVII

Aeque certum est in historiae monumentis, Petrum romanam episcopatum suscepisse, illumque usque ad mortem retinuisse.

DE SYNODO ANTIOCHENA

CXLVIII

Gravissima dici debent argumenta quae suadent in Concilio Antiocheno habito anno 269. in causa Pauli Samosateni vocem ὁμοούσιον non fuisse repudiatam.

DE CANONICA POENITENTIA

CXLIX

Historicae veritati refragantur, qui publicae poenitentiae ritum cum Poenitentiae Sacramento confundunt.

CL

Publica poenitentia vi Canonum praescripta fuit pro aliquibus tantummodo gravissimis criminibus, praesertim pro idololatria homicidio et adulterio.

Disputabitur mane hora IX in Aula Maxima Pont. Seminarii Romani, facta omnibus indiscriminatim contradicendi venia; vespere hora 3 1/4 in Aede S. Apollinaris data cuilibet post tertium arguendi facultate. Praesidibus RR. DD. CAN. PHILIPPO COSSA *Theologiae Dogmaticae* — PHILIPPO ARCANGELI *Sac. Scripturae* — CAN. PIO DELICATI *Historiae Ecclesiasticae* — CAMILLO SANTORI *Rei Sacramentariae* — PHILIPPO TORRONI *Locorum Theologicorum Doctoribus Decurialibus in Lyceo Pont. Seminarii Romani.*

540

IMPRIMATUR
Fr. Hyac. Gigli O. P. S. P. A. Magister

—

IMPRIMATUR
F. A. Luigi-Bussi Arch. Icon. Vicesg.